DE SEXUS UTRIUSQUE DIFFERENTIIS MORBISQUE IN IIS POSITIS.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHYSIOLOGICO-PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIX. MENS. DECEMBRIS A. MDCCCXXXVI.

H. L. Q. S.

UNA CUM THESIBUS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

LUDOVICUS HORWITZ

SILESIO-HAYNAVIENSIS.

OPPONENTIBUS:

B. PINCKSOHN, MED. ET CHIRURG. DR.
I. BRUNN, MED. ET CHIRURG. DR.
P. GUMBINNER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,

TYPIS FRIEDLAENDERIANIS.

Si quid deest operi — desunt vero multa, — id suppleat aetas, et si qua sunt dicta juveniliter pro indole accipiantur.

Quinctilianus.

VIRIS

DOCTISSIMIS

AMPLISSIMIS, HUMANISSIMIS

J. C. F. KURTS,

VERBI DIVINI IN SACRIS APUD HAYNAVIENSES EVANGELICIS MINISTRO

NEC NON

J. C. KŒHLER,

ARTIUM LIBERALIUM MAGISTRO, GYMNASII, QUOD LIGNITII FLORET, PRORECTORI, BORUSSORUM REGIS CENTURIONI EMERITO

INVENTUTIS SUAE PRAECEPTORIBUS

AD CINERES USQUE COLENDIS

NEQUE MINUS

PARENTIBUS

OPTIMIS, DILECTISSIMIS

HASCE

STUDIORUM SUORUM

PRIMITIAS

SACRAS ESSE

VOLUIT

AUCTOR.

§. 1.

Naturam nonnisi contrarium contrario adjungendo homogenei quid procreare, neminem latet, qui in interiorem organismorum conditionem inquirit. Scit chemiae peritus, corpora non conjungi nisi contraria, quae, quo magis a se abhorreant, eo affiniora sibi et ad conjunctiones propensiora sint. Plane idem videre licet, quum corpora anorganica organicis compares. Corpora anorganica, utpote organicis longe inferiora, conjunctionis, quae vocatur binaria indolem prae se ferunt, quippe duo tantum elementa simplicia directe inter se coëant. Quae conjunctio inde exorta iterum elemento simplici, vel alii duorum elementorum simplicium conjunctioni binariae se adjungendo, primi seu secundi vel tertii etc. ordinis conjunctiones binarias efficit. Contra in corporibus organicis nunquam duorum solum, sed trium vel quatuor pluriumve elementorum simplicium conjunctionem directam, connubium scil. ternarium, quaternarium etc. invenies.

§. 2.

Qua proprietate, a Fourcroy et Berzelio primum proposita, satis elucet, naturae producta, quo altiorem dignitatis gradum teneant, eo majorem atomorum constituentium differentiam exhibere. Itaque corpora anorganica, quae non partium discrepantium conjunctione, sed earum potius homogenearum aggregatione crystallorum formam induunt, in infimo corporum ordine collocanda sunt, dum corporum organicorum ex

intimo atomorum discrepantium connubio structura statum maxime absolutum perfectumque portendit.

§. 3.

De sexualibus organismi differentiis, quippe quae novis ejusdem speciei individuis procreandis inserviant, plane idem valet. Hic etiam ex corporum discrepantium, masculi scilicet et feminei, connubio intimo novum productum emergere videmus. Quam sexus differentiam, quo altiorem in animantium serie gradum tenet organismus, eo magis excultam conspicimus. Itaque in homine, tanquam omniscunque formationis culmine, nec non in superiorum brutorum ordinibus, duobus individuis attributum invenimus sexum varium, mari nempe ac feminae. In inferioribus animantibus multo minus excultum videmus sexum, nam eidem corpori injunctum esse scimus diversum sexum, qui formationis typus hermaphroditismus vocatur. In infimis denique animalibus quodque sexus discrimen evanescit, et huc referre debemus generationem per divisionem, polyporum instar, qui dissectione propagantur nec non generationem, quam vocant, aequivocam, seu spontaneam, qualis in infusoriis observari fertur. Regnum anorganicum sexu omnino destitutum est.

§. 4.

Haud exiguis, hoc sexus discrimen ab utriusque organismi proprietatibus pendet, ita ut in omnibus morbis recte dijudicandis maxima earum ratio haberi debeat, totiusque diagnoseos et therapiae principia magna ex parte iis superstruantur. Neminem igitur, qui organismi tum masculi tum feminei indolem peculiarem perspexerit, eandem quam maximam in sanam morbosamque organismi humani conditionem vim exserere, nec solum morbos mulierum a morbis virorum valde discernere, sed etiam morbosam in utroque sexu dispositionem saepissime commutare, fugiet.

§. 5.

Quibus praemissis, disquisitionis de sexus differentiis earumque in morbos efficacia gravitas elucet, nec mirum videbitur, jam veteres sexus differentias inter sex res, quas vocabant, naturales, utpote morborum fontes frequentissimos retulisse. Quas quum nonnisi a pubertate inde certas et definitas inveniamus, neque antea praeter genitalia ipsa, functionibus praestandis nondum apta, ideoque haud respicienda, quidquam exstet utriusque sexus statum ineunte pubertate brevibus lineis adumbrare liceat, priusquam ad propositum meum, de corporis utriusque fabrica varia functionibusque inter se maxime discrepantibus, deque morbis inde oriundis pro tironis viribus disserendi, exsequar.

CAP. I.

De sexus utriusque pubertate.

§. 6.

Sexuum differentiae, quamvis nonnisi a pubertate, ut memoravimus, certa et perspicua appareant, tamen prius indicia nonnulla, per naturam manifestata, afferunt. Jam ex hebdomade octava, priusquam aliqua genitalium vestigia adsint, sexus discrimen in foetus humani corpore exstat. Est enim, teste Soemmering[1]), foetus masculi caput majoris ambitus, vertex magis arcuatus, occiput magis prominens, thorax longior, cono similior, in abdominis nis regione amplior, costis crassioribus munitus; foetus muliebris thorax brevior, superne amplior inde a costa quinta angustior, dolio similior, thorace longius et amplius abdomen apparet. Invenies porro embryonis masculi extremitates superiores longiores, scapulas altiores et firmiores, musculos pectorales

---

1) Sam. Thom. Soemmmering, icones embryonum humanorum Francof. ad. Moen 1799. fol. p 4.

crassiores, brachia cono similiora, antibrachia magis carnosa, carpos latiores, digitos minus acuminatos, pelvim angustiorem, nates cum cruribus graciliores, malleolos calcesque insignius prominentes, halluces ceteris pedis digitis magnitudine praestantiores, quam in foetu muliebri. Omnino vero fallacia sunt, quae de discernendo embryonis sexu dicuntur, neque raro mirifice falluntur, qui graviores valetudinis in graviditate perturbationes, foetuum motus violentiores, dextri lateris gravidae majorem prominentiam, pulsum in dextro brachio fortiorem etc. sexus masculi, contraria autem indicia sexus feminei foetus indicare, arbitrentur.

§. 7.

Quae ex ipsis genitalibus in foetu proficiscuntur sexus differentiae, nullius fere momenti haberi possunt, quia inertiora vilioraque primo praesertim vitae foetalis tempore exstent, quam ut manifestam inde reliquus organismus vim percipiat. Neque per se sexus significatione insignia hoc tempore genitalia percipiuntur. Quae enim si in foetu, masculi feminineive sexus formationem postea subituro, consideres, ad tertium graviditatis mensem usque nullo modo inter se discrepantia invenïes. Ex uno eodemque organo primario penis et clitoris, ovaria et testes, ex iisdem plicis cutaneis scrotum et labia majora formantur, neque igitur quod ad primordia, penis a clitoride, labia majora a scroto, ovaria a testibus discerni possunt, dum sexus futuri causa in hanc illamve formam sensim immutentur. Unde elucet, omnium genitalium, ut contenderunt nonnulli [2]), formationem ad typum muliebrem primis temporibus nequaquam accedere, neque prius in foetu adesse genitalia muliebria, ex quibus formatione procedente virilia oriantur. Qui enim ista contenderunt, eo usi sunt argumento, quod

2) Fr. Tiedemann, Anatomie der kopflosen Missgeburten Landshut 1813. fol. mit K. p. 81 — 88.

prima genitalium externorum forma fissura insignis, in sexu muliebri permaneat; altera vero parte sexum femineum etiam formis virilibus, clitoride scilicet, insignem videmus.

§. 8.

Quae sequuntur vitam foetalem, lactationis periodus et pueritia, quarum illa primos novem vitae menses, haec inde tempus ad octavum usque annum complectitur, haud clarius sexuum discrimen praebent. Recens natorum puerorum plures, quam puellarum, obire, tabulae statisticae nos docent [3]. Major porro ab initio inde puer est quam puella et, quae systemati irritabili dicatae sunt partes, in capite facies, maxillae imprimis cum naso, in trunco extremitates, manus praesertim cum pedibus, majora pro ratione incrementa capiunt, quam in puella. Musculi denique cum cuti solidiores, firmiores apparent.

§. 9.

Jam, quo dirigatur postea utriusque sexus animus, satis cognitum habemus, futuraequae conditionis imaginem ante pueri puellaeve oculos jam nunc obversantem ex infantium lusibus clarissime perspicimus. Amat nimirum puer lusus strepitu resonantes, ludit armis, imitatur equitem suumque ad arbitrium agendi cupido ubique eminet. Repugnare ideo aliis solet, ad institutionem animum attendere nequit, omninoque vitam magis extraneam degit. Cujus cum rebus externis commercii, a mulieris conditione plane alieni, vestigia pari modo perspicua in puella invenimus. Quae quum fugiat lusus puerorum tumultuantes, intro quasi jam nunc animum suum vertit. Ad quam per naturam destinata est, matris personam agere gestit, puparum lusu delectatur, cogitationes cum aliis communicare cu-

3) Annuaire pour l'an 1829, présenté au roi par le bureau de longitudes. Paris 1829. 12. p. 91.

pit, puero igitur prius et facilius loqui discit, et faciliore negotio omnia percipit.

§. 10.

Quod adolescentiam, i. e. pubertatis ineuntis, aetatem antecedit, temporis spatium, sexus discrimine magis perspicuo insigne apparet, ut, sicubi ad maturitatem pervenerit tandem organismus, absolutum perfectumque in conspectum veniat, dum nullum fere huc usque discrimen inter pueros puellasve intercessit, nullaque fere adspectus et habitus externi, formae et organisationis illius, qua utriusque sexus infantes excellunt, nulla demum vocis diversitas exstitit.

§. 11.

Pubertas igitur illum nisus formativi statum significat, quo organismus, summum omnis organisationis fastigium assecutus, planeque absolutus, ad exteriora vires suas vertit, ad sui similia procreanda, ita ut aetate infantili vis vegetativa, in periodo maturitatis vero vis propagativa praevaleat. Quem sui similia procreandi finem genitalia formam aliam, eamque perfectiorem, obtinendo assequuntur, ita ut functionibus, quae antea nullius fere momenti erant, nunc praestandis aptissima fiunt, cumque reliquo organismo intimum commercium subeant. Relative igitur majora nunc apparent genitalia, turgor eorum vitalis, percipiendi sentiendique facultas est aucta, secernere incipiunt, vitam vegetativam antea tantum sustinentia.

§. 12.

Inde a pubertatis exordio adolescentia initium capit, ad incrementi finem usque perdurans. Quam aetatem sexus sequior, quum masculo prius pubescat, prius etiam tum ingrediatur, tum relinquat necesse est, ita ut inde ab anno decimo quarto ad vicesimum usque apud feminam, ab anno decimo

sexto ad vicesimum tertium apud virum porrigatur adolescentia. Est igitur adolescentia maturescendi s. pubescendi aetas, neque maturitatem assequitur organismus intra temporis illius spatium, sed si ad finem illud natura perduxerit. Procreandi igitur facultas nunc evolvitur, ut naturae consiliis sequenti vitae aetate, scil. matura, sexus satisfacere possit, neque inter ipsam adolescentiae periodum omnibus numeris absolutus perfectusque exstat, unde elucet, quantum detrimenti ex venere praematura organismus capiat.

§. 13.

Quae ad universum spectat, procreandi vis, quum primas partes in organismo muliebri agat reliquasque ejus functiones sibi subjiciat, celerius, violentius, cum phaenomenis evidentioribus feminae supervenit, quo maturius, quem consecutura est, generis humani conservandi finem assequatur, nam finis prius incremento imponitur. Contra in juvene, cujus conditio individua magis est, propagandi vis tardius, placidius, magis occulta evolvitur.

A. De pubertatis in sexu sequiori exordio.

§. 14.

Cujus metamorphoseos, in pubertate obviae, indoles quum gravissima appareat in muliere, ab hac ordiendum nobis est. Vim vero repoductivam in femina pubescente maxime eminere, optime eo intelligimus, quod ad concipiendi parturiendique organa, genitalia pelvimque scilicet, nisum illum formativum imprimis tendere observamus.

§. 15.

Itaque jam regiones externae, pelvi adjacentes, formatione perfectiore pubertate ineunte insigniunt Mons veneris increscente panniculo adiposo prominere incipit capillisque crispis ad labia majora tendentibus obtegitur. Nec non nates magis convexae,

densae coxae latiores evadunt, quam in viris. Labia majora colorem subfuscum induunt eorumque nec non nympharum clitoridisque amplitudo augetur. Amplior longiorque vagina, magis perspicuae cryptae mucosae fiunt. Pelvis cavitas, infanti relative altior, arcumque pubis acutiorem, majorem ossium constituentium gracilitatem et mollitiem, introitus autem longitudinem latitudine minorem praebens, itaque a pelvi mascula parum differens, amplior fit formaque sua sexum indicet.

§. 16.

Uterus demum, systematis sexualis princeps ac centrale quasi organon, gravissimam ex nisu formativo inter pubertatem metamorphosin experitur. Quem si in puella impubere consideras, plane cylindricum, densum cartilagineum, singularum partium discrimine accuratiore carentem, cavumque ejus ad orificium externum usque rugosum invenies. Sanguinis denique copia tantum ea instructus est hoc tempore, quae ad nutriendum sufficit. Quum praeterea plane adhuc functionibus careat uterus nexumque cum reliquis partibus, ad ipsius systema, scil. sexuale, pertinentibus cumque reliquo organismo nondum alat, vita propria plane destituitur, et vegetativam tantum agens. corporis alieni instar vix oeconomiae animalis particeps esse videtur.

§. 17.

Longe gravissimum imperium pubertatem adeptus exserit uterus tum in systema genitale, tum in reliquum organismum. Apparet enim major, formam induit piriformem, partes ejus singulares, cervix, corpus, fundus accuratius distinguuntur, complanantur parietes uteri interni antea rugosi, magis perspicui fiunt sensim sensimque musculi. Vasorum sanguiferorum tum uteri. tum reliquorum genitalium, numerus sanguinisque inde af-

fluxus augetur, major igitur turgor vitalis efficitur, quae tandem phaenomena nexus ille intimus uteri cum reliquis genitalibus totoque organismo femineo sequatur, necesse est. Eodem tempore, statu uteri fere subinflammatorio exorto, stillicidium secreti illius, catameniorum nomine insigne, ordiri solet.

§. 18.

Praeterea corporis in universum habitus evadit perfectior, statura gracilior, gressus mutatus, mammarum denique incrementum majorque convexitas, earumque areolarum color subfuscus ad absolvendam quasi pubertatem accedunt. Saepissime ineunte feminarum pubertate vasorum sanguiferorum affectiones in conspectum veniunt, e. g. pulsuum durities, plenitas, celeritas aliaeque abnormitates, congestiones sanguinis, palpitatio cordis, dyspnoea, anxietas, cephalgia, odontalgia, vel haemorrhagiae, inflammationes erysipelatosae, febres. Sensilitatis imprimis alienationes apparent, dorsi et abdominis dolores, pelvis tensio atque pressio, totius corporis gravitas, praesertim lumborum et crurium, languor et segnities, tristitiae et hilaritatis vicissitudo subita etc. Corporis feminei incrementum, ubi jam multum est provectum, ineunte pubertate subito intercipitur, augescente magis ambitu. Sin eo usque retardatum fuit, celeriter macrescente simul corpore procedit.

§. 19.

Quae quidem maturitas, secundum coeli temperiem, individuam corporis constitutionem vitaeque genus serius ocius apparens, multo prius, ut memoravimus, in organismo muliebri quam in masculo absolvitur. Hinc fit, ut organismus quidem muliebris multo prius evolutionis fastigium assequatur, sed celsiore corporis virilis statura, ossium et musculorum robore, magnitudine et soliditate semper superetur, indeque prius per naturam suam ad de-

crepiditatem vergat. Quid mirum igitur, quod viro adhuc florescente summaque corporis perfectione vigente jam languescat femina. Quis ergo dubitet, superiore dignitatis gradu virum exellere, ad quem omnibus numeris absolvendum et perficiendum longius temporis spatium requirat natura, siquidem procreandi negotium corpore validiore firmioreque indigeat. Ex quibus autem virtutibus somaticis de animo quoque validiore et fortiore esse concludendum mulieremque a viro longe superari tum somatica tum psychica conditione, neminem latebit, qui de corporis animique commercio intimo eoque gravissimo persuasum habet: idem largietur, quae modo diximus, haud ex nimia viri arrogantia, sed ex ipsius naturae, ut vidimns, fonte esse petita.

§. 20.

Menstruatio [4]), criticae perturbationi apte comparanda, qua functiones mulieris sexualia longo adhuc somno obrutae, repente expergiscantur, ut naturae consiliis inserviant, certissimum maturitatis signum praebet. Significatur menstruationis, s. catameniorum, s. mensium nomine sanguinis ex utero profluvium periodicum, quatuor vel quinque dies perdurans, quaternisque hebdomadibus rediens. Quae vero ratio periodica, in sanae mulieris menstruatione certa semper ac constantissima, lunae imperio obtemperat, quum sub novilunium mulierum plurimarum menstrua fluere, solisque vel lunae eclipsi accedente a sueto ordine aliquantulum recedere, constet. Per evolutionem ad involutionem usque, sive climactericos annos, qui vocantur, permanet menstruatio, ita ut fertilitatis quasi signum et testimonium afferat. Neque tamen semper sterilitatis morborumque, ut fere putant, criterium in mensium

4) A. Jos. Testa, über die period. Veränd. und Erschein. im kr. u. ges. Zust. des menschl. Körp. Leipz. 1790 8. S. 276. — J. A. Kelz über die Gewohnh. des menschl. Körpers. Frankf. 1809. 8.

defectu cerni, intelligimus. In graviditatis et lactationis periodo, nec non in morbis gravioribus ex more deficiunt. Haud vero contraria desunt exempla, imo, quamquam raro, quaternis hebdomadibus gravidis rite fluxisse menses feruntur. Exemplum multo rarius affert Elias de Siebold[5]): novisse se, ait, mulierem, quae nunquam, nisi gravida, menstruaretur. Simile quid narrant Baudelocque, Chambon et Petiot[6]). De sexagenariis, septuagenariis, quin adeo octogenariis mulieribus, quaternis hebdomadibus rite menstruatis, conferas Hallerum[7]).

§. 21.

Pro coeli temperie, individua corporis constitutione, vitae genere atque educatione, ut plurimum serius ocius pubertatem exoriri, supra memoravimus. Cujus quum sit indicium gravissimum menstruatio, omnia illa momenta in hanc multum valere, facili negotio intelligitur. Favent vero mensibus prius inducendis coelum fervidius, evolutio corporis feminei praecox, reproductio praepotens, cibus potusve nimis conditi, remediorum drasticorum abusus, commotiones abdominis mechanicae, educatio nimis mollis, in universum quaecunque momenta systematis sexualis functiones justo maturius excitant. Contra clima frigidum, frigus[8]), dispositio hereditaria, vita casta, tristitia, egestas, valetudinis inde ab aetate infantili imbecillitas, reproductionis praesertim morbi, ut rhachitis, scrophulae etc. ad retardandos menses plurimum valent. Praeterea experientia edocemur, virginibus, quibus sit coma densa, nigra, vel fusca, prius fluere menses, quam capil-

5) E. v. Siebold, Handb. zur Erkennt. etc. der Frauenzimmerkrankh. Frkf. a. M. 1811. Vol. II. pag. 36.

6) C. F. Burdach, Physiologie als Erfahr. Wissenschaft. Leipz. 1828. Vol. II. pag. 87.

7) Halleri Physiologia. Lib. 28. §. 3.

8) Inter Lappones feminas hieme non menses evacuare, referunt peregrinatores Vid. v. Siebold l. c. Vol. I. §. 31.

lamento raro et subflavo conspicuis. — Apud nos quidem, in regionibus scilicet sub coelo temperato sitis, aetatis anno XIV vel XV, ut plurimum, incipit mensium fluxus adque annum XLV vel L usque perdurat.

§. 22.

Primum mensium profluvium symptomatibus quibusdam, menstruorum moliminibus, quae dicuntur, natura indicare solet. Sunt enim animi perturbationes, congestiones, dolores colici, gravitatis plethoraeque abdominalis sensus, cephalalgia, dolores regionis sacrae, quae omnia symptomata mulierum nimis sensilium catamenia in posterum etiam comitari solent. Quae molimina, quamvis morborum, eorumque gravissimorum, saepissime sint fontes, neque raro pubertatis originem in morborum quasi scaturiginem immutent, neutiquam per se pro morbis sunt habenda, licet maximam ad morbos propensionem efficiant. Neque minus decrepiditatis stadium, quod mensium fluxu primum irregulari, tum plane cessante insignitur, similia phaenomena comitantur, quare maximam medici providentiam menses tum ordientes tum cessantes requirunt.

§. 23.

Majore sensilitate et irritabilitate, procreandique libidine potentiore insignem videmus sub singulis mensium profluviis mulierem. Vasorum absorbentium, genitalium imprimis, functiones auctae sunt, quo efficitur, ut facilius concipiat mulier, dummodo cessantem fluxum sequatur coitus. Mammae praeterea, nec non vultus, faciei color, vocis digestionisque organa, pulsus, transpiratio, omnes in universum functiones, mutationem inde subeunt gravissimam. Gravissima autem metamorphosi partes genitales excellunt. Sanguinis enim ad uterum et reliqua genitalia affluxu aucto, portio vaginalis in pelvim altius descendit, mollior apparet et orifi-

cium externum rotundam formam induit, genitalibus simul turgescentibus, ita ut status inducatur, primae graviditatis periodo haud dissimilis.

§. 24.

Sanguinis unciae quinque vel sex mensibus profunduntur. Sanguis profluens initio magis serosus est, pallidique coloris, tum copiosior, ex rubro nigrescens, prioremque exeunte profluvio indolem, serosam scilicet, recuperat. Fibrina plane caret, proptereaque haud coagulat. Num ex ipsius uteri cavo ejusque fundo, an ex sola vagina profluat menstruum, inter auctores est dissensio. Ex utroque simul, alii, modo ex utero, modo ex vagina proficisci, alii putant. Neque, quibus ex vasis. arteriis an venis emittatur, consentiunt, sed incerti omnino haesitant. Neque ex arteriis, neque ex venis, instar reliqui vasorum sanguiferorum sanguinis, profluere, sed peculiaris esse indolis, utpote qui excretione tantum reddatur, Clarkius[9]) censet, illud argumentum afferens, quod coagulandi virtute plane careat, qua omnis vasorum sanguiferorum sanguis insigniatur. Concentratam denique cruoris corpusculorum in sanguine repertorum solutionem, ut judicant nonnulli, non esse statuendam, adnotat ill. Müller, qui plane integra, ait, se invenisse corpuscula sanguinis illa, itaque talem sub menstruatione parietum vasorum capillarium relaxationem esse suspicandam, qualis integrorum illorum corpusculorum hoc tempore transitum permittat.

§. 25.

Qualem percipiat usum ex fluxu menstruo organismus femineus[10]), jam ex ipsius intra graviditatem nec non lactationem defectu elucet; primum

9) Clarke, Beobacht. über die Krankh. d. Weib. aus dem Engl. v. Heinerken. Hannov. 1818.
10) Alb. v. Haller, resp. d'Orville, disquis. caussae menstr. flux. Gotting. 1748. 4.

enim foetui, dein post partum, ad conficiendam lactis secretionem mammis advectus, extra uterum etiam infanti nutriendo inservit, quare non amplius retinetur ejus profluvium, cum functio nutriendi desiit, donec nova graviditas aut lactatio novam fluxus retentionem requirat. Fluidum albuminosum inter graviditatem menstrui loco ab uteri tunica mucosa secerni, formandaeque sic dictae membranae caducae, s. deciduae Hunteri, causam praebere, refert Burdach[11]). Quam membranam homini solum esse propriam, eapropter arbitrati esse videntur Hunter, Oken, Samuel[12]), quod solam mulierem humanam mensibus putant excellere. Sed animalium etiam menstruatorum, e.g. simiarum, mentionem fecerunt nonnulli, membranamque illam in mammalibus quoque reperiri, Lobstein[13]), Moreau[14]), Dutrochet, Cuvier, Joerg[15]) aliique affirmant.

§. 26.

Materias nocivas evacuari mensibus, purgandique munus, instar reliquarum secretionum, iis esse tribuendum, quare purgationis menstruae nomen iis conveniat, quidam scriptores contenderunt. Quibus nimirum sanguis mensibus excretus vitiatus ac peculiari quadam indole, rebus nonnullis damnifera, praeditus esse videtur. Quaecunque tangat hoc tempore mulier, corrumpi, tanquam veneni naturam induerit hic sanguis, jam veteres, ut Aristoteles[16]), Plinius[17]) annotaverunt. Coitus cum muliere men-

11) l. c. Vol. II. p. 87.

12) Jo. Samuel, diss. de ovor. mammal. velamentis. Wirceb. 1816. 8. mit K. p. 4.

13) J. Fr. Lobstein, Ueb. d. Ernähr. des Fötus. A. d. Franz. v. Kestner. Halle 1804. 8. fol. 14.

14) Moreau, essai sur la dispos. de la membr. caduque. Paris. 1814. 4. pag. 22.

15) Joerg, Ueb. d. Gebärorg. d. M. u. d. Säugeth. im schw. und nicht schw. Zust. Leipz. 1808. fol. mit Kpf. p. 18.

16) Aristoteles, hist. animal. lib. III. Cap. 19.

17) Plinius, hist. natur. lib. III. fol. 110.

struante non solum viro sed etiam infanti, eo tempore concepto nocere, multosque cum hoc morbos, ut lepram, elephantiasin etc. communicare dicitur, jamque Moses[18]) lege coitum prohibuit sub mensium fluxum. Apud nos quoque mulieribus, quarum menses fluunt, aditus ad loca, quibus cerevisia, vel vinum, vel acetum etc. reservantur, vetatur, ne corruptionem haec fluida subeant. Multas aliorum auctorum[19]) opiniones, pro fabulis potius habendas omittimus, cumque aliis minus credulis statuamus, excretum illud in muliere sana nihil habere vitiosi vel venenosi, at vero statu praeternaturali, menstruis minus recte procedentibus, varia vitia induere noxiumque sanguinem fieri posse.

§. 27.

Neque defuerunt, qui ex natura menstrui tam peculiari, qualem finxerunt, de viribus quibusdam salubribus et medicatricibus concluderent. Ad mensium supressionem tollendam, inter alios menstruum sanguinem laudat Fr. Hoffmann[20]). Apud Romanos eundem contra epilepsiam adhibitum esse, nonnulli[21]) referunt. Contra febrem intermittentem, contra haemorrhagias et polymenorrhoeam, contra scabiem, maculas, naevos, guttam rosaceam, strumam, contra pestem et gangraenam, maximo cum fructu in usum a se vocatum esse menstruum, permulti contenderunt auctores, iique maxime creduli. Remedium adeo lithontripticum efficacissimum esse, censet Bekkerus. Quantum denique superstitionis fontem praebuerint menses, quam saepe menstruum commendatum sit tanquam philtrum contra amorem etc. quis est, qui nesciat.

---

18) Mosis Leviticus.

19) Jo. Fernelii opera Trajecti 1656. lib. VII. cap. VII. — Regn. de Graaf., de org. mulier. Lugd. 1677. p. 263.

20) Fr. Hoffmann, Clav. Schroeder. Halae 1681. p. 662. Sigism. Ransohoff, diss. de catameniis. Gotting. 1818. 4. p. 23.

21) Joh. Jac. Wecker de secret. Basil. 1600. lib. V. p. 111. Mich. Ettmüller opp. Francof. 1695. Vol. I. fol. 492.

B. De pubertatis in sexu potiori indole.

§. 28

Restat, ut de pubertate organismi virilis nonnulla addamus. Serius et diutius evolvi organismum virilem jam supra memoravimus, neque tantam, praesertim genitalium, mutationem oriri videmus, quanta in sexu femineo apparet, id quod facillime intelligitur, quum longiore temporis spatio, quod viri evolutio requirit, phaenomena ipsam comitantia magis paulatim ideoque minus impetuose accedant. Thoracis praesertim evolutione pulmonesque versus sanguinis congestione insignem videmus juvenem pubescentem, dum pelvim uterumque magis, ut vidimus, in femina nisus ille formativus petat.

§. 29.

Quod ad genitalia mascula attinet, increscere, colorem mutare, nutritione et turgore vitali aucta excellere videmus. Quae quidem phaenomena a testibus proficiscuntur, quippe qui majores, graviores, solidiores appareant, semenque secernant. Scrotum fit calidius, colorem magis fuscum induit, contractione promtiore rugosius apparet, magis elevatur vestibusque ipsum tangentibus saepius irritatur. Vesiculae seminales majus obtinent volumen et intestinulorum formam tandem accipiunt. Prostata augescit, laxior sanguineque ditior apparet et humorem secernere incipit. Capilli molles, rari, subflavi in monte veneris, simul cum lanugine in mento apparent, magis crispantur et rigent, ad anum usque pertingunt. Corpora penis cavernosa adhuc solidiora, tunc laxiora fiunt et rubescunt, crassior itaque et longior fit penis, glans ejus sensilior, dum praeputii incrementum cessat, ipsumque longius et facilius retrahi potest. Saepius nunc erectiones oriuntur semenque virile, nec non humores prostatae glandularumque Cowperi, inter somnum secedere incipiunt.

§. 30.

Organorum viri sexualium evolutionem reliqui organismi virilis immutatio multo amplior sequitur, quam quae in femina appareat, quippe cujus ad genitalium systema fere solum pubertatis phaenomena spectare videamus. Apparet itaque rigidior tela cellulosa, rarior pinguedo, musculi rigidiores, solidiores sese manifestant magisque perspicui ob oculos cadunt. Solidior, albior laeviorque fit cutis, odorem peculiarem reddit perspiratio, praesertim in ilium et axillarum regione. Pili, plumarum similes, sic dicta lanugo, super oris angulis primum, deinde in labio superiore, tum in mento et genis, sub mento denique apparent, veramque in barbam, quae totam faciei partem inferiorem occupat, sensim abeunt; contra, qui virginibus super oris angulis progerminant, pili subtilissimi vixque percipiendi, non amplius crescunt. Eodem tempore in virorum pectore, nec non fovea axillari pili nascuntur.

§. 31.

Mensibus barbae pilorum materiam evacuari, mulieremque ideo carere barba, qua insignis sit sexus masculus, existimat Petr. Dionysius[22]), jamque Hippocrates[23]), barbam mulieribus e suppressione mensium oriri, docet, duarum quidem feminarum mentionem faciens, quae suppressis mensibus barbatae totoque copore ad virorum modum pilosae apparuerint, nec non vocem habitumque in universum virilem acceperint. Similia feminarum ex suppressione mensium barbatarum exempla multi alii scriptores afferunt[24]). Ceterum quotidie feminas, climactericos annos ingressas, mento ad barbae modum piloso, insignes videmus.

---

22) P. Dionysius, anat. corp. hum. Genev. 1696. 8. p. 331.
23) Hippocrates, epid. sect. VII. lib. VI. ed. Foes. p. 1201.
24) Mart. Schurig, Parthenologia et gynaecologia etc. Dresd. et Lips. 1729. 4. pag. 184. — Burlinus de fem. ex suppr. mens. barb. Altorf 1664. — Segerus, in ephemer. natur. curios. decur. IX. obs. 95.

§. 32.

Maximam sexus masculi irritabilitatis organa, circulationis nimirum et respirationis, immutationem experiri evolutione, jam supra memoravimus. Dilatatur itaque thorax, prominentia illa laryngis, pomum Adami, ut vocant, apparet. Omnia respirationis organa majore ambitu nunc insigniuntur, rima glottidis duplo amplior evadit, graviorque inde vox redditur, quae acuta, rauca et aspera saepissime initio auditur.

§. 33.

Fuerunt, qui cum fluxu mulierum menstruo virorum haemorrhoides compararent, malumque hoc aeque iis, ac menstruum feminis, necessarium esse, contenderent, argumentum ab experientia petentes, qua compertum habeamus, haemorrhoidarios aliis morbis saepissime liberos esse. Quod quamvis experientia omnino nos doceat, ita ut jure haemorrhoides multorum aliorum morborum remedium quasi prophylacticum habendae sint (unde etiam venae aureae nomen derivandum), menstrui tamen simile quidpiam non exstat. Fluxus enim haemorrhoidalis in mulieribus etiam, quamvis rarius, observatus est. Fluxu porro menstruo, materiae nociviae, ut supra memoravimus, non evacuantur, id quod potiore fortasse jure de haemorrhoidibus contendere licet, quippe quae re vera multos morbos arceant, id quod non aeque faciunt menstrua.

CAP. II.

De organismo virili et muliebri inter se comparatis.

§. 34.

Quas praebeat maris feminaeque organismus differentias in universum, ab oxygenio in viro, ab

hydrogenio in femina praevalente deducendas esse, putat Ackermann[25]). Quam variam sexus utriusque indolem, ait, plurimum quoque valere ad sexus masculi femineive infantes procreandos. Quodsi enim, congressis inter coitum seminis virilis oxygenio ovulique feminei hydrogenio, oxygenium principatum teneat, masculum ex germine, sexu per se destituto, originem ducere, totamque per vitam, quod ad organismi masculi conditionem, oxygenium majoris esse momenti, inferiorem vero locum tenere hydrogenium. Sin hydrogenium praevaleat, organismum femineum nasci, cujus etiam reliqua vita ejusdem elementi principatu excellat. Si demum aequalis harum partium proportio fuerit, neutrumque principium praevaleat, sic dictum hermaphroditum gigni, cui neque masculi neque feminei organismi vera indoles competat.

§. 35.

Experientia quoque edocti sumus, oxygenio praevalente marem esse insignem, hydrogenii imperio magis feminam teneri. Quodsi enim consideremus irritabilitatis organa, sedem oxygenio exhibentia, magis exculta majoreque ambitu insignia in organismo masculo apparent. Vasorum sanguiferorum lumen angustius, sanguinisque quantitatem minorem, cor denique cum pulmonibus thoracisque cavo non aeque amplum, ac in viris, praebet organismus femineus. Quum hic contra hydrogenii imperio teneatur, abdominis cavum majore ambitu conspicuum longiusque videmus in femina, quippe quae promptiore reproductione, cujus organa abdomen complectitur, excellat. Sufficiant haec de universa sexus utriusque varia indole; ad specialia nunc nos vertamus.

---

25) Jac. Fidelis Ackermann, infantis androgyni hist. et ichnographia. Jen. 1805. fol. Unter der Rubrik: de sexu et generatione disquis. physiol.

§. 36.

Duplici ratione sexus diversitas manifestatur, absoluta scilicet et relativa. Vocamus absolutam, quae ex ipsis genitalibus eorumque in sexu utroque functionibus diversis proficiscitur; relativam contra, quae non genitalium sed reliquarum organismi partium differentiis nititur [26]). Quum vero genitalium et reliqui organismi nexum intimum ex mutua actione maxime perspicuum intelligamus, stricta segregatio vix institui potest.

A. De sexuum diversitate absoluta.

§. 37.

Partium genitalium in utroque sexu differentia maxima est et gravissima, morborumque in mulieres multo crebrius, ut experientia docet, irruentium, etiamsi non sola, tamen gravissima causa habenda. Jam pubertatis in femina exordium, ut supra memoratum est, valetudinis perturbationibus rarissime caret, nec non in posterum mensium vices repetitae, tum retardatione aut maturatione morbosa, tum excretione justo majore aut minore, graviditates porro cum puerperiis et lactatione, decrepiditatis denique stadium, pari modo morborum muliebrium fontes uberrimos praebent; genitalium autem masculorum functiones plerumque fortuito tantum morbos efficiunt.

§. 38.

Partes genitales viriles, quamvis maxime abhorreant a femineis, aptissime tamen cum his comparari possunt, neque differunt ad tertium graviditatis mensem usque, ut supra (§. 9.) adnotavimus. Quod quidem facili negotio intelligitur, etenim ex uno eodemque organo primario, per se neutrius sexus indolem praebente, genitalia varia, pro futuro embryonis sexu paulatim mutata, prodeunt. Quibus

---

26) I. F. Ackermann, diss. de sex. discr. praeter genit. Mogunt. 1788. Deutsch v. J. Wenzel, Coblenz 1788. 8.

inter se comparatis, respondet penis clitoridi, scrotum labiis majoribus, ovaria testiculis, tubae Fallopianae epididymidibus, ligamentum uteri teres gubernaculo Hunteri etc.

§. 39.

Id quidem clarissime e primae genitalium formationis historia patet. Primis enim vitae foetalis temporibus, ante renum genitaliumque formationem, corpora sic dicta Wolffiana, seu renes primordiales, seu renes spurii, inde a diaphragmate ad anum usque lateri columnae vertebralis anteriori adjacentia, in conspectum veniunt sensimque evanescunt, ubi conformata sunt genitalia cum renibus. Sunt formae oblongae haec corpora et ex canaliculis constant coecis, paribus intervallis invicem distantibus, qui ductum corporis Wolffiani efferentem constituunt, anteriori ejus lateri adjacentem. Qui utriusque lateris corporum ductus simul cum ureteribus, ductibus genitalium efferentibus cumque intestino recto in cavum sic dictum uro-genitale, seu cloacam, aperiuntur, cujus ex latere anteriore urachus surgit.

§. 40.

Hisce in posterum insigne fit cavum illud, sinus uro-genitalis. Primum septum in eo oritur transversum, perinaei, quod serius apparet, rudimentum primum, quo intestinum rectum a sinu illo, postice nunc clauso, sejungitur. Quae deinde sequuntur, immutationes secundum sexum differunt. Itaque in foetu f e m i n e o urachi illiusque sinus partis, quae ureteres recipit, a cavo communi sejunctio ita fit, ut locotum, quibus tres isti canales in cavum patescunt, spatium sese coarctando partes anteriores versus continuo moveri pergat. Quae, quo urachus patefit, loci coarctatio, cum partis superioris dilatatione congruens, urethram et vesicam urinariam circa hebdomadem octavam conformat. Vesica urinaria,

oblongae urachi dilatationis speciem per longum tempus imitans, mense demum tertio, vel quarto, formam subrotundam obtinet, ab uracho in superiore ab urethra in inferiore parte magis perspicue secedens, donec plane tandem sejungatur ab uracho, qui mense tertio ad umbilicum usque apertus, post mensem quartum plane clauditur. — In foetu masculo alia rei ratio est. Canalis intra vesicam urinariam et sinus uro-genitalis orificium situs, urethra scilicet, canalis primarius permanet, in quem ductus genitalium efferentes, iique coarctati, aperiuntur dum organa mulieris urinifera a genitalibus sensim plane separantur.

§. 41.

Hebdomade septima ad latus corporis Wolffiani internum sub rene succenturiato, et in renis latere exteriore, corpus oblongum apparet, quod testiculi, vel ovarii formam, secundum sexum embryonis futurum accipit primumque igitur harum partium rudimentum existimari debet. Itaque ex eodem organo primario eodemque loco originem capiunt ovaria nec non testiculi, ovaria etiam foris apparerent in modum testium, posthac in scrotum per annulum abdominalem descendentium, nisi fortiore uteri attractione in abdominis cavo retinerentur. Juxta externum corporis Wolffiani marginem canalis apparet, in ductum ipsius efferentem infra patescens, qui epididymidis vel tubae Fallopianae formam subit. Eodem fere tempore fibrarum fasciculus observatur, qui ab annulo inguinali profectus, inferiori canalis illius fini affigitur, et gubernaculi Hunteri, vel ligamenti uteri teretis formam postea induit. Finis denique ejusdem canalis, pars scilicet infra gubernaculi Hunteri insertionem, cum ductu corporis Wolffiani efferente ad ipsius aperturam usque in sinum urogenitalem in vas deferens, vel cornu uteri, sinusque ipse in urethram immutatur.

§. 42.

Genitalia externa pari modo aptissime inter se comparari possunt. Itaque ex prominentia tori simili, sub umbilico et ante cloacae orificium apparente, processus surgit, clitoridis vel penis rudimentum, cujus latus inferius sulco, seu rima, cloacam petente, finditur. Quae genitalium rima septo transverso, perinaei rudimento, ut supra memoravimus, a cloaca circa hebdomadem decimam sejungitur. Utrinque rimae illius plicae cutaneae parvae et oblongae apparent, quae mole adaucta labiorum majorum in femina futura formam induunt, dum rimae margines intumescentes in labia minora, s. nymphas, immutantur. Clitoris vero, cujus formam processus ille in femina accipit, initio relative major et umbilicum versus erecta, inde ab exeunte mense tertio, minus celeriter crescit, quam integumenta, quibus circumdatur, ita ut quarto mense retracta et deorsum quinto mense curvata, labiis majoribus et minoribus plane tandem obtegatur. Contra in sexu masculo processus ille in penem mutatur. Cujus in latere inferiori rima ille inde ab ano concrescit, suturaque prominens, sic dicta raphe, exoritur, quae simul plicas illas, labia majora feminarum constituentes, ad scrotum conjungit. Tali modo perforatus apparet penis urethraeque canalem praebet. Itaque gravissima externorum utriusque sexus genitalium differentia eo nititur, quod genitalia externa muliebria fissa manent, neque ampliorem perfectionis gradum, quam molis augmentum assequuntur.

§. 43.

Ex superioribus intelleximus, omnia utriusque sexus genitalia aptissime inter se comparari posse. Solius uteri vaginaeque nulla cum aliqua genitalium virilium parte similitudo exstat, omnibus praeterea genitalibus muliebribus et reliquo organismo, e. g. mammis adeo imperat uterus, ut hac parte

plane a genitalibus virilibus differat. Virorum prostatam cum vesiculis seminalibus, nec non urethram virilem uteri vaginaeque similes quidem habuerunt nonnulli, cui sententiae equidem non subscribo. Cujus uteri formae causae haud dubie in abdominis cavo cernitur, apud foetum muliebrem majore. Peritonaeum enim quum prius altiusque in foetus feminei pelvim descendat, uterum attingit ejusque faciem anteriorem et superiorem obducit, in viro autem neque vesiculas seminales, neque prostatam attingit. Quod peritonaei integumentum, quum ab utroque ipsius latere in ligamenta uteri lata exeat, tam uterum inter intestinum rectum et vesicam urinariam pelvi affigit, quam peculiarem ejus formam efficit, siquidem uterus pro vi foras procedendi, quae ligamentis istis peculiaris est, ut cavum simplex in vaginam simplicem aperitur. Rarissime tantum feminae humanae uterus, cavo et orificio duplici instructus, in vaginam duplicem aperitur.

§. 44.

Praeterea uterus hoc modo ex sinu uro genitali formatur. Elevatur enim ex cavo illo in elongationis mediae formam ineunte mense tertio, reliqua sinus parte in vaginam mutata. Adhaerent elongationi illi tubae Fallopianae, quarum pars ea, quae inter ipsarum ostium uterinum locumque, quo ligamenta teretia utero adnexa sunt, sita est, cum uteri corpore ipso circa mensem tertium ita crassescit, ut duo uteri cornua, quae vocant, huic organo inhaereant, quorum finibus ligamenta uteri teretia inserantur. Quae cornua mense quarto in uteri fundum sese immittentia cumque eo coalescentia evanescunt, ita ut ligamenta teretia cornubus antea affixa, tunc utero ipsi adnectantur, quin insertionis locum immutent.

§. 15.

De peculiari uteri cum omnibus organismi muliebris partibus consensu et nexu aliqua addere li-

ceat. Huc, quae menses et lochia suppressa excipiunt, phaenomena varia praesertim referenda sunt. Quarum secretionum, mensium praesertim, vices haemorrhagiae variae saepissime subeunt, e. g. rhinorrhagia, otorrhagia[27]) stomatorrhagia, haematemesis etc. Neque raro oculorum dolorem, ophthalmiam diplopiam, bulbi prolapsum, amaurosin, surditatem[28]), hemicraniam, aphoniam[29]), polydipsiam, odontalgiam, menses suppressos sequi, tradunt auctores, barbam mulieribus succrescere suppressis mensibus, jam supra memoravimus. — Uteri scirrhum fremitu dentium indicari, adnotat Hippocrates[30]) rubedinemque colli in glandulae thyreoideae regione modo apparentem, modo evanescentem, eidem morbo peculiarem esse, Kluge asserit. — Quae graviditatem, puerperium, decrepiditatemque comitentur, varia phaenomena, uteri mirum illud cum toto organismo femineo, mammis praesertim[31]), commercium perspicue manifestantia, alibi fusius erit exponendum.

B. De sexuum diversitate relativa.

§. 46.

Quam vocamus sexus differentiam relativam, quamvis minoris ad universam sexus conditionem momenti sit, tamen dignitate quadam, etsi minus perspicua, non caret, morborumque omnium, qui alterutri sexui singulares non sunt, originem, decursum exitumque summo imperio regit. Itaque non unus fortasse morbus in utroque sexu aeque frequens, nullus vero in viro feminave eadem ratione insignis exstat.

27) Haller, elementa physiol. — Whytt, de morb. nerv.
28) Wepfer, observ. med. p. 148. — Astruci de morb. vener. vol. I. pag. 406.
29) Schurig, l. c. p. 163. — Whytt, l. c. p. 156.
30) Hippocrat, de nat. mulier §. 30 u. 31.
31) I. Anemaet, de mirabili, quae mammas inter et uterum intercedit, sympathia. Lugd. Bat. 1784.

1) De viri et feminae sceleto.

§. 47.

Sceleton muliebre hisce in universum proprietatibus a masculo differt. Sunt ossa singula relative minora, albidiora, minus dura, magis rotunda, leviora (in femina enim $^{8}/_{100}$, in viro autem $^{10}/_{100}$ totius corporis ponderis aequant). Apparet igitur feminae sceleton minus excelsum, infirmius, brevius. Prominentiae minus perspicuae, superficies musculorum insertionibus ortae minus mutatae, cava omnia non aeque profunda, ac in sceleto masculo apparent. Caput cum humeris et pelvi magis postice collocatum, truncus demum obliquitate quadam insignis est, neque variae columnae vertebralis curvaturae tam perspicuae.

§. 48.

Quod ad partes sceleti singulas, feminae caput minore ambitu insignitur magisque postice, ut modo dixi, collocatum est. Multo minora ossa faciei, si cum cranii ossibus compares, spatioque aeque angusto cranii impressiones et, quas vasa tenuiora permeant, aperturae conspicuae sunt. Tota denique basis cranii angustior, ossa temporalia igitur sibi propiora sunt, ita ut et caput et maxillae ab utroque latere magis compressae appareant.

§. 49.

Truncus mulieris relative longior, coni formam praebet, cujus apicem humeri regio, basin ossa ilium constituunt. Contra in viro, ubi in collum truncus exit, basis apparet, eademque fere, in dolii modum, superiori thoracis parti et ilium regioni latitudo est. Sunt itaque mulieris coxae humeris latiores, siquidem truncus, ubi brachia inserta sunt, digitos octo et dimidium vel duodecim latus est, spatium vero utrique ossi ilium interpositum, digitos Parisienses undecim vel tredecim et dimidium in latitudi-

nem patet. Varias harum partium, quales in feminis nonnullis adultis inveniuntur, mensuras exegit Joerg[32]. — Feminae scapulae a trunco non longe distant, et propter claviculas minus ac in viris curvatas acclivesque postice magis collocatae sunt, quod idem de humeris dicendum est. Dextram feminae scapulam altius esse collocatam, asserit Monteggia[33], quod tamen E. de Siebold[34]) de nonnullis feminarum negotiis, quae pronis humeris peraguntur, derivandum putat.

§. 50.

Feminae thorax a pelvi longius quam in viro distans, a parte anteriore posteriorem versus magis compressus, ipsius igitur cavum circa basin imprimis angustius apparet, id quod etiam claviculis minus acclivibus curvatisque efficitur. Costae graciliores, breviores, postice magis arcuatae magisque semicirculares et propter insertiones cartilagineas longiores etiam mobiliores cernuntur. Os sternoideum est brevius, ita ut costa vera sexta non margini ejus laterali, ut in viro, sed inferiori inseratur. Quae thoracis feminei conformatio dilatationem ejus majorem facilioremque esse patitur. Contra thorax virilis pelvi propinquior, longior et amplior est, maximamque viri latitudinem humeri efficiunt, quam apud mulierem spatium ossibus ilium interpositum sistere, supra diximus. Quum praeterea claviculae viriles accliviores sint, thoracem non aeque atque in feminis pedetentim in collum exire videmus.

§. 51.

Quod costis ultimis superiorique pelvis margini in sceleto femineo interjacet spatium, quum propter thoracem breviorem amplius sit, eo majorem abdominis cavo in femina, minorem in viro

32) Joerg, Krankh. d. Weibes Leipz. 1831. Th. 1. pag. 22.
33) Monteggia, Fascicul. pathol. Mediolani 1788, 8.
34) E. de Siebold l. c. pag. 10.

locum praebeat, necesse est, id quod praeterea vertebris lumbaribus, paululum in femina altioribus, nec non trium costarum inferiorum declivitate minore et, quae inter eas intercedunt, spatiis minoribus efficitur. Ossa denique ilium, quum planiora et minus ardua in femina appareant, non aeque atque in viris abdominis cavum comprimunt.

§. 52.

Pelvis femineae conformatio omnium sceleti partium maxime a mascula differt. Est enim in universum amplior, sed minus profunda, postice magis collocata. Ossa eam constituentia typum muliebrem maxime portendunt, sunt enim graciliora, ipsorum excavationes minus profundae, prominentiae minus perspicuae et, quibus inter se cohaerent, ligamentis et cartilaginibus firmioribus et densioribus praedita. Ossa ilium, ut supra memoravi, latiora, planiora sunt. Ossium pubis ramus horizontalis in longum magis, ramus descendens extrorsum porrigitur, arcusque pubis major apparet. Os ischii non tam alte descendit, ejus tuber extrorsum magis pergit. Quae ossium femoris capita excipiunt, acetabula longius distant, neque aeque obliqua atque in viris, sed magis foramina obturatoria versus collocata sunt. Os sacrum ad longitudinem minus curvatum, planius, excavatione magis congruente majoreque latitudine insigne est, subque ultima lumborum vertebra minore convexitate retrorsum inclinatur. Promontorium minus eminet angulumque acutiorem cum ultima lumborum vertebra format. Os denique coccygis in universum angustius ossiumque constituentium plana articularia tum magis arcuata, tum minus excavata sunt, totum igitur os multo mobilius subque osse sacro magis eminet, quam in viro. — Omnium pelvis femineae diametrorum ratione contraria Afras maturas excellere, cavique pelvis spatium majus in illis

diametro minore s. conjugata, spatium vero minus diametro transversa, permultorum animalium more, significari, nonnulli contenderunt[35].

§. 53.

Quod ad extremitates, ossa brachii et manus mulieribus sunt minora. Ossa femoris propter pelvim ampliorem superne magis distant et genua versus magis convergunt quam in viro. Genua leviter inflexa sibique propiora, et ossa tibiae exiliora mediaque parte minore ambitu insignia sunt. Pedis denique extremi ossa minora, feminarum igitur pedes elegantiores et graciliores sunt.

2. De functionibus utriusque sexus dynamicis.

a. De sensilitate.

§. 54.

Sensilitas, seu sentiendi facultas, illam vim vitalem significat, qua impressiones foris oblatas percipimus. Cujus conductores quum nervi sint, qui ex cerebro, quasi centro, in omnes partes eradiantur, de cerebri nervorumque in utroque sexu indole primum nobis erit disputandum.

§. 55.

Feminae cerebrum, ratione habita medullae spinalis, nervorum densitatis et corporis reliqui, amplius et ponderosius, basis vero encephali lobulusque medius paulo minor, glandula pinealis contra major apparet. — Cerebellum veneris cupidinis esse sedem, id quod parte infra lineam semicircularem inferiorem occipitis sita cognoscatur, in vivis igitur cervicis et colli latitudine et crassitie significetur, tradit Gall[36], craniologiae auctor. Esse itaque, idem ait, in viris brutorumque maribus cere-

35) E. v. Siebold l. c. pag. 11. in der Anmerk.
36) Bischoff, Darstell. d. Gall'schen Geh. und Schädel-Lehre. Berl. 1805. p. 71.

bellum magis efformatum, collum igitur crassius magisque prominens, quam in feminis, quarum cerebellum, minus perfectum, versus foramen occipitale magis collocatum sit. Feminas porro prominentia, in infimo cranii loco maxime perspicua, excellere, craniologia nos edocet. Quae quum vix in viris, contra vero infantibus, simiabus et in illis brutorum maribus, qui pullorum cura insignes sint, appareat, prolis vel pullorum amoris sedem exhibere dicitur[37]).

§. 56.

Feminae nervi cerebrales, praeter opticum et olfactorium, minores et subtiliores sunt, quam viri. Nervi spinales cum sympathico maximo, cerebralium ratione habita, neque minores neque numerosiores sunt. Plexus tamen hypogastrici, nervus ischiadicus ramique ex plexu mesenterico superiore et inferiore prodeuntes, eadem fere, qua in viro, magnitudine gaudent.

§. 57.

Pro nervorum muliebrium subtilitate majore ipsos mobiliores feminasque alacrius et facilius res externas percipere novimus. Itaque mulieres multis rebus maxime commoventur, quae viri organismum vix afficiunt. Sic sexus sequioris infantes, asphyctici nati, celerius et minoribus irritamentis in vitam restitui dicuntur[38]). Est itaque in universum viro multo debilior femina, ad morbos propensior, quippe ad quos efficiendos causae leviores sufficiant. Sensuum organa muliebria majore teneritate excellunt. Acutiores, sagaciores, subtiliores sunt gustus et olfactus, lucem mitiorem visus, sonos blandiores dulcioresque auditus amat, facilius rebus duris, horridis, frigidis vel fervidis tactus offenditur.

---

37) Ibidem pag. 75.
38) E. v. Siebold l. c. pag. 27.

§. 58.

Qui sensilitatis in femina principatus ex vitae inde ab exordiis decursu optime cernitur, siquidem non solum morbi plurimi, in feminas irruentes, sed etiam, quibus absolvendis organismus femineus dicatus est, stadia illa, per se non morbosa, ut pubertas, mensium fluxus periodicus, graviditas etc. arctissimum cum nervorum systematis hàc illave alienatione commercium alunt.

§. 59.

Animi sedes quum haud dubie cerebrum sit nervorumque per systema cum rebus externis commercium ille ineat, hic eadem, qua nervi in utroque sexu, indole insignis sit, necesse est. Neque non tota ratío feminae psychica cum nervorum indole consentit, siquidem subtiliorem mobilioremque perspicimus feminae animum. Itaque facilius et celerius res animo suo percipit mulier. Sexus feminei jam infantes dociliores esse et loqui prius discere, supra memoravimus. Memoria, imaginandi vis, animi agilitas et praesentia, ingenii acumen, verborum ad garrulitatem usque torrens, in universum sagacitas, mobiliorem feminae animum necessario sequitur, ita ut meditatione et cogitatione strenuiore et sublimiore prae femina viri animus emineat[39]).

b) De irritabilitate.

§. 60.

Quae incitamentis externis repugnare valet vis vitalis, irritabilitas vocatur, cui vasorum sanguiferorum systema motusque organa inserviunt.

39) Mauvillon, Charakteristik d. Weibes Leipz. 1790. 8 C. F. Pockels Vers. einer Charackteristik d. weibl. Geschl. 4 Th. Hannov. 1806. — F. Ehrenberg, weibl. Sinn u. weibl. Leben. Berlin 1809. — E. v. Siebold l. c. Th. 1. S. 89—110. — I. C. G. Joerg l. c. Th. II. §. 58—84.

Ab utriusque igitur indole, in sexu utroque varia, ordiendum nobis erit. Vasorum sanguiferorum actio in circulatione cernitur, cujus centrum in corde ponendum est, respirationis ope vero cum rebus extra organismi fines positis nexum alit. Itaque cor cum pulmonibus praesertim irritabilitatis fontem exhibent.

§. 61.

Cavum thoracis, quum irritabilitatis organorum sedes sit, propria structura et indole maxime in viscera contenta influere, facili negotio intelligitur. Esse autem minoris ambitus breviusque in femina cavum illud, supra memoravimus, ubi de partibus ejus osseis sermonem fecimus. Idem de partibus musculosis valet, nam diaphragma ad cavum illud in femina coarctandum confert, quippe quod cartilagini costae verae sextae apud feminam, septimae vero apud virum inseratur, ita ut feminae diaphragma longius quidem, sed magis exiguum conspiciatur.

§. 62.

Pro minore cavi thoracis apud feminam ambitu organa etiam, in eo sita, cor scilicet cum pulmonibus, minore ambitu conspicua terminisque magis circumscripta apud feminam invenimus, quare etiam respiratio minus alta aërisque nec non oxygenii inspirati copia minor sint, necesse est. Trachea conformatione simillima gaudet. Est enim in femina angustior, propter minorem arcuum cartilagineorum diametrum, eadem autem longior, quia arcuum plures, quam in viro adsunt. Larynx feminae est minor, angustior et altior, musculorumque situs mutatus. Nec non cartilago thyreoidea minor est et ita conformata, ut utraque cartilago non angulum, ut in viro, sed arcum forment; cartilago etiam cricoidea quod ad diametrum transversam minorem ambitum habet. Quum praeterea laryngis ligamenta minus firma et compressa sint in femina, contra-

ctilioraque appareant, facilius musculorum ope attolli potest larynx femineus. Cujus tandem quum sit apertura etiam angustior et minor quam in viro, feminae vox flexilior, acutior, magisque canora redditur.

§. 63.

Quum feminae pulmones in thoracis cavo angustiore sint minores, sanguis celerius quoque ipsos permeat, id quod etiam in universum de sanguinis in reliquo feminae corpore circulatione valet, magis enim acceleratum invenimus, pulsuumque ictus fortiores. Quod ad sanguinis in utroque sexu indolem, major ejus copia in femina esse videtur, unde haemorrhagiae istae frequentiores et largiores, quibus feminas obnoxias videmus, derivandae sunt, neque sanguis superficiem perinde ac in viro petit, unde cutis color mulieri candidior et tenerior est. — Venae crassiores plenioresque in viro sunt, earumque in universum systema in viro praevalet, dum venarum et arteriarum textura rariore, lumineque minore mulieris corpus insignitur, si aortam descendentem, ejusque ramos praesertim hypogastricos exceperis, qui relative crassiores majoresque reperiuntur. Praeterea majore in universum arteriarum copia feminae abdomen cum pelvis regione praeditum est, unde major extremitatum inferiorum efformatio majorque ad abdominis genitaliumque inflammationes propensio profluunt. Venarum contra systema in viri abdomine praevalet, id quod morbi illi virorum, ex abdomine saepissime proficiscentes, venarumque imperio producti, significant.

§. 64.

Magis aquosum feminae sanguinem, contra cruore et fibrina ditiorem viri invenit Lecanu[40]. Sanguinis halitum peculiarem in viro graviorem ex seminis imbibitione[41]) derivandum putaverunt per-

40) J. Müller, Handb. d. Physiol. Coblenz 1833. Th. I. p. 114
41) Burdach l. c. vol. III. p. 309.

multi, eo usi argumento, quod ille sit dibilior in infantibus planeque desideretur in spadonibus, senibus iisque, qui atrophia testium, vel tabe dorsali etc. laborent.

§. 65.

Quae irritabilitatis actionibus praeterea inserviunt, motus organa, i. e. musculi, pro sexu vario his proprietatibus differunt. Sunt in femina subtiliores, molliores, laxiores, digitis tangentibus minus resistentes. Fibrarum portio carnosa minor, mollior, rotundior et humidior est, neque mulieris musculi distinctiora in cuti lineamenta propter minorem prominentiam efficiunt. Quae omnes proprietates maxima ex parte ossibus minoribus minusque solidis, nec non telae cellulosae, quae singulas fibras conjungit, copia majore efficiuntur. E contrario fortiores, densiores et solidiores, thoracis brachiorumque praesertim musculos, in viro invenimus, ipsique colorem rubriorem propter oxygenii abundantiam induunt, dum multo pallidiores sunt in femina. Magis igitur ad irritabilitatem in viro respondent, siquidem facilius et celerius femina quidem corporis motus praestat, sed gravioribus laboribus et molestiis ferendis multo minus ac viri organismus par est.

c. De reproductione.

§. 66.

Sensilitatem et irritabilitatem vita reproductiva conciliat, quo efficitur, ut utraque illa vis vitalis actione reciproca vivendi facultatem procreet. Quum substantiarum ingerendarum, assimilandarum, egerendarumque ratio reproductionis notione contineatur, cavi abdominis organa illis functionibus reproductivis destinata, vasorumque lymphaticorum systema vitae reproductivae focum exhibere, facile est intellectu. Quorum igitur organorum fabricam primum considerabimus.

§. 67.

Abdominis cavum jam in sceleto muliebri longiore spatio esse donatum, supra (§. 51.) memoravimus. Nec minus abdominis musculorum eorumque, qui regioni lumbali et sacrali affixi sunt, efformatio ad peculiarem illam cavi abdominalis feminei functionem perficiendam conferunt. Itaque angustiorem sed longiorem invenimus superiorem cavi istius regionem, dum amplior propter pelvim ampliorem regio inferior apparet. Quae vero ratio localis, angustia enim cum majore longitudine conjuncta, graviditati et partui rite absolvendis aptissima est habenda, siquidem regionis superioris amplitudo major non solum organorum in vicinia sitorum functiones, sed etiam partum turbaret. Nec non eidem scopo maxime consentaneam judicabimus musculorum abdominis feminei conformationem, qui reliquis relative densiores, latiores majoreque fibrarum irritabilitate instructi, tum ad partum adjuvandum, tum ad excolenda tuendaque reproductionis organa, plurimum conferre debent.

§. 68.

Hepar ob angustius superioris cavi abdominis regionis spatium exilius est, quam in viro. Pariter ventriculus non aeque ac in viro amplus, sed cum reliquo intestinorum tractu, cumque mesenterio longior apparet. Vasa glandulaeque lymphaticae magis in femina excultae efficacioresque sunt. Nulla praeterea reliquorum reproductionis organorum differentia in utroque sexu exstare videtur.

§. 69.

Quod ad functiones tractus intestinorum, irritabilitas vasorumque ejus lymphaticorum numerus in femina major est, unde minus quidem alimentorum requirunt et prius satiantur mulieres, sed prius etiam esuriunt saepiusque cibos appetunt. Digestio mulierum facilius cruditatibus turbatur, digestionis-

que organorum morbi chronici, imprimis dyspepsia et cardialgia, saepius irruunt. Contra assimilatio feminis melius procedit, quae inferiorem gradum in viro tenet. Itaque amissa facilius restituuntur et materiae depositae facilius absorbentur, ut aliis finibus inserviant. Qui quidem assimilationis principatus jam inde a primis vitae annis e celeriore corporis incremento pubertateque cognoscitur, sed maxime perspicue in femina matura apparet, praesertim si graviditatem, veluti summum assimilationis gradum, subiit. Facilius quoque pinguescunt mulieres, quam viri, qui nonnisi irritabilitate imminuta et reproductione quasi luxuriante in obesitatem incidere solent, texturamque fibrae muscularis indole insignem prae se ferunt, dum tela cellulosa ad vegetabilium modum in organismo muliebri praevalet, quibus efficitur, ut feminarum senectus eo turpiorem adspectum praebeat, quo magis citiusque vegetatio ista quasi sufflata collabitur.

§. 70.

De secretionibus haecce memoranda sunt. Secretio per cutem major in femina est cumque pulmonum exspiratioue, in femina minore, ut vidimus, antagonismum alit. Quam largiorem transpirationem majoremque ab altera parte vasorum vesicae urinariae absorbentium copiam, urinae excretio minor sequatur, necesse est. Nec non alia phaenomena facili negotio inde explicari possunt, ut feminarum lotium spissius magisque concentratum, odor ejus acrior et fragrantior, diutius idem continendi facultas, vesicae urinariae et reliquorum organorum uropoeticorum morbi, e. g. calculi urinarii [42], rariores. Dicitur etiam virginum lotium esse pellucidius, aquosius, contra crassius et coloratius mulierum, quae jam partum ediderunt. Urinae excre-

42) Steinmann, de causa cur frequent. viri prae feminis calculosi fiant. Argentorati 1750. — Benedict. Pincksohn, diss. de calculis urinariis. Berol. 1836. 8. F. 44.

tionis sub graviditate vel versus partum difficultas saepius observata in causis mechanicis posita est, id quod Friede [43]) ex compressione colli vesicae ab utero descendente primis graviditatis mensibus accidere, Joerg vero ex tenesmò quodam vesicae, non diu post conceptionem saepissime exoriundo, derivandum esse, existimat. — Praeterea etïam sitim per longius temporis spatium sustinendi potestate insignes sunt feminae. Alvi denique excretio, excepta graviditatis periodo, facilius mulieribus sanis cedit. Diutius eam continendi est facultas, cui quoque spissior magisque faeculenta alvus et vasorum absorbentium copia major bene respondent.

3. De habitu sexus utriusque externo.

§. 71.

Qualis sit habitus externi in utroque sexu indoles, maximam partem jam ex praemissis elucet, quum ejus lineamenta maxime perspicua praebeat sceleton, in quo describendo supra versati sumus. Est itaque mulieris corpus forma teretiori insigne, mollius, plures arcus et curvaturas exhibens. Motus gestusque ejus leviores, mobiliores graciliores que apparent. Longe tenerior, mollior et laevior quam in viro, cutis, coloreque vegetiore et laetiore induta est. Venae mulieri sunt pellucidiores vasaque capillaria minus sanguinis continent. Majore denique adipis sub ea positi copia, quam musculorum soliditate et robore, quae in viris ratio est, cutis insignitur. Pili non, ut in viro, per totum corpus sunt diffusi, et in quibus crescunt locis, scilicet in capite, sub axillis, in pubis regione, certioribus in femina limitibus circumscribuntur. Sunt etiam feminae crines tenuiores, molliores, longiores.

43) Georg Albr. Friede, Anfangsgr. der Geburtshülfe z. Gebr. f. Vorles. Strassb. 1769. 8. p. 44.

§. 72.

Mulieris caput formam ut plurimum rotundiorem, prominentiis non aeque ac in viro, insignem, praebet. Est brevior facies finibusque arctioribus circumscripta, et formationis typus non eam stabilitatem exhibet, quam in viro observamus, neque sensus interiores animique affectiones mulieris vultu tam facile et perspicue significantur. Minus alta frons, minor nasus, magis vero exculta, quam viri, feminae auris apparet. Regiones temporales et maxillae in universum paulo compressae inveniuntur, ita ut oris quoque cavum sit angustius.

§. 73.

Collum mulieris longius est, a capite et trunco minus perspicue sejunctum et, quum larynx, praesertim cartilago thyreoidea minor sit, neque ita promineat, ut in viro, adspectum illum venustum praebet, quem admirari saepissime solemus. Parum lati humeri retroque magis collocati, minus a trunco distant. Pectus est angustius, profundius, teretius, minus amplum, et ambitu et mammis a viri pectore maxime differt, cui mammarum rudimenta tantum addita sunt. Abdomen mulieris magis prominet formamque rotundiorem praebet. Umbilicus a pubis regione, feminae latiore, remotior, hypochondria molliora, coxae majores latioresque sunt. Feminae regio lumbalis longior est et habitum illum gracilem elegantemque sistit, quo maxime ornatur mulier.

§. 74.

Extremitatum conformatio typo muliebri, scilicet forma teretiori, itidem excellit. Est itaque mulieris brachium pinguius, teretius, manus brevior, colore albidior, tactu mollior. Extremitates inferiores longe minores, sed femorum pars superior teretior ampliorque sunt, dum pars inferior convergens in genua exit, quae etiam magis in-

flexa sunt magisque prominent. Surae teneritate partisque praesertim inferioris gracilitate insignes, pedes minores, eorumque plantae minus latae sunt, quibus feminae gressus vacillans, cursusque tardior redditur.

CAP. III.

De morbis, qui utriusque sexus differentiis nituntur.

§. 75.

Quales immutationes sani organismi functiones pro sexuum differentia subeant, supra exposuimus; de morborum pro sexu varia indole nunc nobis erit agendum. Quorum vero non solum permultos alterutri sexui peculiares esse videmus, ita ut aliis morbis vir, aliis mulier afficiatur, sed etiam, qui utrique sexui communes sunt, hac illave ratione differre, compertum habemus.

§. 76.

Facilius saepiusque, qnam viri, morbis obruuntur mulieres, quod a nervis earum tenerioribus et mollioribus derivandum est. Minime vero ad idem periculi fastigium evehuntur mulierum pathemata, quoniam irritabilitate minus evoluta virium vitalium inter se certamen minus acre provocatur. Facilius etiam, quam viri sanescunt, aut diutius saltem morbos sustinere valent mulieres, quum major earum vis productiva tum partem affectam a morbo inimico defendere, tum particulas amissas facilius restituere valeat. Facilius itaque suppurationes largas sustinent, citiusque tumorum, indurationum etc. resolutionem experiuntur.

§. 77.

Systema irritabile, ut plurimum virorum, sensile mulierum morbi adoriuntur, nervorumque pa-

thematibus, ut convulsionibus, hysteria. animi deliquiis crebrius submitti videmus mulieres, dum irritabilitatis vitia in virum saepissime irruunt. Vitae quoque reproductivae alienationes facillime nascuntur in mulieribus, utpote hac functione vitali praepollentibus majoremque materiae peccantis copiam in promtu habentibus. Suppuratio inde admodum profusa in viscerum, ut pulmonum, phthisi, corpus citius consumens, haud raro in mulieribus observatur.

§. 78.

Quantum denique valeat ad morborum dispositionem decursumque varia pro sexu vario vitae ratio, facile est intellectu. Huc ergo morbi magna ex parte sunt referendi, quibus alter sexus prae altero insignitur, siquidem mulieris vita, ut plurimum sedentaria, haud raro ad morbos illos, qui proprii sunt mulieri, e. g. ad chlorosin, hysteriam, mensium retentiones etc. dispositionem largitur, dum virorum morbi [44]) pro variis opificiis, artibus et reliquae vitae conditionibus [45]) pariter indolem illam, soli viro peculiarem, induere solent.

§. 79.

Quum dispositio morbosa pro sexu varia immutetur, in sexus functionibus immutandi facultas posita sit, necesse est, ita ut sensilitas et vis reproductiva in muliere praevalens, tum ipsarum ad morbos propensitatem majorem crebrioremque efficiat, tum nervis reproductionisque organis muliebribus morborum semina adspergat, dum irritabilitatis in viro principatus ejusdem quoque systematis

44) Juncker, diss. de morbis virorum.

45) B. Ramazzini, Abh. v. d. Krankh. d. Künstler und Handwerker; neu bearb. u. vermehrt von J. C. G. Ackermann 2 Bände, Stendal 1780—83. 8. — J. C. G. Ackermann über die Krankh. d. Gelehrten etc. Nürnberg 1777 8. — Val. Lorenz, etwas üb. die Krankh. d. Lohgerber. Rostock 1798.

morbos frequentiores eosque periculosiores parere valeat.

§. 80.

Sexus vero functiones, quum in muliere praesertim certis quibusdam temporibus auctae sint, ita ut totus organismus hac in periodo perfectius efformatus appareat, quam alio quoque tempore, ad morbos etiam dispositio tali organismi statu magis perspicua reddatur. priusquam vero pubertatem ingressus sit organismus, nullum fere inter pueros puellasque discrimen illius adsit, necesse est.

§. 81.

Videmus itaque pubertatis ineuntis decrepiditatisque in utroque, menstruationis, graviditatis atque puerperii in sexu sequiori periodum dispositione ad morbos majori pronum ferri. Sed etiam plurimum valent eaedem conditiones ad morborum. qui jam adsunt, indolem immutandam, decursumque modificandum, licet per se pro morbis neutiquam sunt habendae, ut jam supra pluries memoravimus.

§. 82.

Multi igitur morbi utriusque sexus pubertatis exordium comitari solent, quos frequentiores esse feminis et plerumque a genitalibus proficisci, rariores vero in viris et in pectoris organis imprimis positos videmus. Itaque mulierem menstruationi a norma recedenti, eique vel praecoci, vel retardatae, vel dolenti aliisve, quod ad sanguinis menstrui quantitatem, indolem et locum, vitiis, chlorosi praeterea et hysteriae maxime obnoxiam hoc tempore videmus. Contra vir systematis irritabilis pathematibus, et propter intimum illum pubertatis cum pectoris organorum evolutione commercium, phthisi tuberculosa saepissime nunc laborare solet.

§. 83.

Alii porro morbi, cum accedunt in femina menses, in deterius mutantur, alii iisdem sanantur.

Idem pertinet ad graviditatem[46]). Quae si in organismo morbos reperit, aut in omne tempus eos expellit, ut exanthemata, epilepsiam, aut levat, aut aliquamdiu supprimit, quare non gravidae pluribus in universum morbis sunt obnoxiae, quam illae, quae utero gerunt, quia vita uteri plastica, hoc tempore aucta, a rebus externis, iisque nocivis, gravidas saepius defendere valet. Omnes enim humores ab utero attractos et in ovo depositos perspicimus, quare in aliis organis imminuti sint, vel plane deficiant, crebriusque igitur, quam foris, ex utero potissimum profecta videamus pathemata in gravidas irruentia, graviditatisque decursum normalem intercipientia, necesse est. — Ex altera vero parte multi mulieris morbi graviditate augentur, vel vi audacta in ipsam irruunt, si inter graviditatem paululum minuti erant.

§. 84.

Puerperium quoque morborum indolem maxime turbare morbosque adducere valet. Vertigo, nervorum debilitas etc. facillime in puerperas irruunt, dum ex altera parte cutis affectiones, ut catarrhi, rheumatismi, exanthemata saepius eo sanari soleant. Praeterea lactationis atque lochiorum vitiis, mammarum pathematibus, varii generis inde febribus, ut febri puerperali, lacteae etc. saepissime laborantes scimus puerperas.

§. 85.

Quae non concipiendo partusque inde non edendo naturae legibus repugnant, multis morbis haud raro obnoxiae sunt[47]), ut hysteriae, convulsionibus, leucorrhoeae, mensium vitiis, choreae Sti Viti, melancholiae, animi perturbationibus. Nec non idem

---

46) Francisc. Meurer, diss. de vi et potest. graviditatis in morbos. Berol. 1835. 8.

47 Hippocratis Coi opp. omn. Gr. et Lat. ed J. H. van der Linden Lugd. Bat. 1665. 8. Lib. LXXI. de virg. morb. — Lud. Mercatus, de morb. mulier. comm., virginum, viduar, sterilium etc In der Samml. Gynaecia 3te Ausg. von Israel Spach Argentor 1597. fol

valet de viris, qui satyriasi, priapismo similibusve morbis ex nimia castitate insigniuntur, id quod tamen rarius iis accidere solet, quippe qui pollutionibus nocturnis a morbis ex hoc fonte oriundis arceri soleant.

§. 86.

Procreandi denique facultate exstincta haud raro morborum, eorumque pro sexu vario differentium, numerus augetur, quamvis minus in universum perspicua haec immutatio provectiore aetate appareat. Videmus tamen matronarum morbos, chronicos imprimis, per longius temporis spatium perdurantes, etiamque reproductione adhuc praevalente insignes ipsas novimus prae viris senibus. Praeterea mulieres hoc vitae stadio morbis quibusdam reproductionis videmus laborare, e. g. hydropibus, indurationibus, scirrhis et carcinomatibus, ventriculi tractusque intestinorum morbis etc. Contra vir senex ossificationibus et lithogenesi renali et cystica magis laborat, quibus phaenomenis rarissime hac aetate mulier affici solet. Nervorum quoque affectiones, ut sensuum hebetudo saepius in mulieribus quam in viris senibus observantur.

§. 87.

Restat, ut de morbis, soli viro feminaeve peculiaribus, aliqua adhuc addamus, quos e sexuum differentia absoluta (§. 35.) maxima parte derivandos esse, facili negotio intelligendum est. Huc igitur omnes morbi referendi sunt, qui ex genitalium forma et textura abnormi, circulationis nutritionisve vitiis effectis, originem ducunt propagandique facultati plus minusve impedimenti saepe objiciunt. Itaque in muliere propter vim ipsius reproductivam potentiorem finesque, quibus sanitas continetur, facilius saepiusque inde excedentem, organisationes perversae, in sexuali systemate praesertim, crebrius quam in viro apparent.

Sed haec hactenus; jam superest, ut lectores benevolos, si qui forent, etiam atque etiam rogemus, pagellas hasce studiorum nostrorum esse primitias, ne obliviscantur. Jam vero tironis non est nova proferre, quare tanto magis, hoc etiam opusculum egere judice aequo ac indulgenti, persuasum nobis est, quanto minus omnibus numeris perfectum et absolutum sit. Valete nobisque favete.

VITA.

Natus sum *Ludov. Nath. Horwitz*, quatuor fratrum natu maximus veterique fidei addictus, anno hujus seculi XIII Haynaviae, Silesiae inferioris urbe, patre optimo *Sam. Nath. Horwitz*, ibi mercatore, matre carissima *Bertha* e stirpe *Londoniana*, quos vivos adhuc veneror. Prima literarum humaniorum rudimenta vir me docuit, cujus de me meritissimi ad cineres usque memor ero. Nomen autem est viro huic summe reverendo *Kurts*, verbi divini in urbe patria ministro, cujus scholis per quinque annos maximo cum successu interfui et quem fatis superstitem adhuc pia mente prosequor. Tredecim fere annorum puer Gymnasium Lignicense adii, t. t. sub auspiciis Cel. Prof. *Werdermanni* Eq. nunc defuncti, florens, ibique per annos sex et dimidium a tertio inde ordine moratus sum. Nec possum, quin omnibus, quibus ibi usus sum praeceptoribus, prae ceteris vero Cel. M. *Koehler*, Prorectori, nec non Cel. Dr. phil. *Werner*, Conrectori, quas habeo gratias maximas, palam agam. Nunquam virorum illorum, summe de me meritorum memoria ex grato meo animo delebitur. Maturitatis testimonio instructus, mense Majo anni MDCCCXXXII Almam Academiam Viadrinam Vratislaviensem adii, ibique die XIV ante Cal. Iunii ab Ill. *Huschke* t. t. fasces academicas tenente inter cives academicos receptus et ab Ill. *Wendt* t. t. Gratiosi Medicorum ordinis Decano maxime spectabili artis salutaris studiosis adscriptus sum. Per tres annos et dimidium hisce scholis interfuisse glorior:

Ill. *Benedict* de chirurgia generali et speciali, de ophthalmiatrcie, de arte fascias et instrumenta chirurgica rite applicandi operationesque in cadaveribus rite instituendi. Idem in exercitationibus clinico-chirurgicis et ophthalmiatricis dux mihi erat benignus. — Ill. *Betschler* de arte obstetricia theoretica et practica. — Ill. *Elvenich* de logice et psychologia. — Ill. *Fischer* de chemia theoretica, practica et pharmaceutica. — Ill. *Glocker* de mineralogia et geognosi. — Ill. *Goeppert* de plantis officinalibus deque arte formulas medicas rite concinnandi. Idem in excursionibus botanicis dux mihi erat benevolus. — Ill. *Gravenhorst* de zoologia et helminthologia. — Ill. *Henschel* de botanice et phytotomia. — Ill. *Klose* de encyclopaedia medica et de pathologia generali. — Ill. *Otto* de anatome corporis humani universa nec non pathologica brutorumque comparata. Idem in exercitationibus anatomico-practicis et in arte sectiones forenses rite instituendi dux mihi erat egregius. — Ill. *Passow* de Aristophanis Acharnensibus. — Ill. *Pohl* de physice experimentali. — Ill. *Purkinje* de physiologia cor-

poris humani theor. et demonstrationibus microscopicis illustrata nec non de toxicologia. — Ill. *Remer* de therapia generali et speciali. Ejusdem clinicum medicum frequentavi. — Exp. *Remer* jun. de morbis organorum auditus. — Ill. *Rohowsky* de ratione philosophiae inchoandae atque exstruendae nec non de Platonis Phaedone. — Ill. *Schneider* de Caesaris bello gallico. — Ill. *Stenzel* de aevi medii et recentioris deque Silesiae et Germaniae historia. — Ill. *Wachler* de literarum historia, eundem de vita academica bene instituenda nec non de Lessingii vita et scriptis disserentem audivi. — Ill. *Wendt* de materia medica, de morborum syphiliticorum therapia et de fontibus Germaniae medicatis. Praeterea exp. Dr. *Klose*, Dr. *Koehler*, Dr. *Remer* jun. medici adjutores, ad aegrotorum lectos benignissime me adjuverunt.

Auctumno anni superioris Berolinum me contuli ibique prid. Cal. Novembris ab Ill. *Busch* t, t. Rectore Magnifico in civium Almae Fridericae-Guilelmae numerum receptus, et ab Ill. *Müller* t. t. Gratiosi Med. Ord. Decano maxime spectabili medicinae studiosis adscriptus sum. Per anni spatium clinicum chirurg. Ill. *Rust*, Policlinicum medico-chirurgic. Cel. *Trüstedt* et clinicum medicum Cel. *Wolff* moderatoribus frequentavi. Quibus omnibus viris ill., cel., exper., gratias habeo, quas possum, debitas maximas. Nunquam praeceptorum optimorum memoria ex discipuli animo gratissimo discedet.

Tentamine philosophico, nec non medico et examine rigoroso coram Gratioso Medicorum Universitatis literariae Berolinensis ordine rite superatis, spero fore, ut, dissertatione thesibusque palam defensis, Doctoris Medicinae et chirurgiae gradus rite in me conferatur.

THESES DEFENDENDAE.

1. *Causa morbi proxima nil nisi morbus ipse.*

2. *Lactis metastases nego.*

3. *Menstruationi purgandi munus non est, purgationis menstruae igitur nomen ineptum habendum.*

4. *Ad morbos syphiliticos sanandos diaeta cum mercurii usu conjuncta mercurio ipso plus valet.*

5. *Vis medicaminum ex analysi chemica non derivanda.*

6. *Inter medicamina nullum venenum.*
